

7.
r

DE
RELIGIONE INPRIMIS CHRISTIANA
MAGNO IN OFFICIIS ERGA ALIOS
PRÆSTANDIS ADJUMENTO

DEO JUVANTE

RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DVCE ac DOMINO

DOMINO

C A R O L O

DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCLÆ REGNANTE

REL. REL.

PRO LOCO INTER PROFESSORES THEOLOGOS
SECUNDVM STATVTA OBTINENDO

DISPVTABIT

JOHANNES FRIDERICVS MÆRKLIN

THEOLOGIÆ DOCTOR ET PROFESSOR EXTRAORDINARIVS ATQVE
ECCLESIÆ TVBINGENSIS PASTOR ET SVPERINTENDENS

RESPONDENTE

FRIDERICO CAROLO LE BRET

PHILOSOPHIÆ MAGISTRO SACRI MINISTERII CANDIDATO ET
SVBBIBLIOTHECARIO IN DVCALI STIPENDIO

H. L. Q. C.

DIE XVIII. DEC. MDCCLXXXVI.

TVBINGAE

TTPIS FVESIANIS.

DE
REVISIONE INPUBRIS CHRISTIANA
MAGNO IN OFFICIO REGIA ALIOS
PRESTANDIS ADJUMENTO

ACADEMIA
MAGISTRO UNIVERSITATIS FRIDERICO CAROLINE
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO

DOMINO
CAROLO
DUCE SASSONIENSIS ET REGIS REGNANTE
RECTORI

ACADEMIA
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO

FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO

FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO

FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO

FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO

FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO
MAGISTRO THEOLOGICO
FRIDERICO ALBRECHTO POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO



S. I.



Quum omnes virtutes inter se nexæ sint & conjugatæ ¹⁾, tum officia quoque a nobis præstanda, varia licet, conjuncta sunt, quod ab una communi lege proficiuntur, atque ad unum eundemque finem spectant, perfectionem & felicitatem obtinendam. Nulla igitur pars officii ab altera disjungenda est, quamvis distincte tractari possint singulæ; nullum genus officiorum ita proponendum vel urgendum est, ut aliud negligatur vel lædatur. Atque hæc conjunctio imprimis observanda est in illis, quæ ad Deum & quæ ad alios homines pertinent, ut pietatem habeamus ad justitiam ducem & comitem. Summum quidem inter Deum & homines intercedit discrimen; infinite plura ab optimo Creatore quam a mortalibus accipimus beneficia: nec tamen religio vetat, quo minus accurate cogitemus & persolvamus, quæ proximo debemus, sed potius jubet

A 2

bet

1) CICERO *Tuscul. Quæst.* L. III.

bet & adjuvat, si veri nominis religio est, DEO digna, qualis est maxime, quæ DEI Filium Christum auctorem habet. Verum ex quo corrupti & obscurari cœpit religio, etiam hoc inde secutum est mali, ut pietas ab officiis erga alios abstracta & disjuncta fuerit. Quod primum accidit in *Judaismo*, postquam neglecta legis Mosaicæ summa ad studium ceremoniarum & multiplicia commenta humana delapsus est. Idque gravissime in legis doctoribus & Phariseis reprehendit Jesus, quod prætextu religionis ea, quæ maximi momenti sint in lege, prætermittant, scilicet æquitatem in judicando, misericordiam & fidem, quibus præcipue opus est, ut bene nos erga alios geramus. (Matth. XXIII. 23) Sed ad *Christianos* quoque manavit hic error, ut multi pietatem ab officiis erga alios sejungi posse & debere putarent, hisque neglectis sibi maxime religiosi esse viderentur. Notæ sunt ex historia ecclesiastica contentiones non modo de capitibus sed etiam de formulis & ritibus religionis christianæ acerbissimæ, odia & bella adversus schismaticos & hæreticos, qui putabantur, quibus caritas fidesque cum reliquis officiis negatæ fuerunt. Nota etiam sunt instituta & exempla monachorum, qui pietatis esse duxerunt, necessitudinibus relictis, omnique cum mundo commercio sublato, in solitudines secedere. Nostra autem ætate hæc quidem caligo a religione depulsa est, nec ea facile ad oppressionem & persecutiones aliter sentientium abuti licet; quod in aliis major lux veritatis, in aliis vero remissio & tepor in pietate cum rationibus politicis efficere potuit: Sed eo magis mirandum est, hodie a multis tum veteres illos & funestos abusus religioni etiam nunc imputari, tum id agi, ut pietas plane ab officiis erga alios atque a moribus disjungatur, & sic e republica, cui nihil amplius præfidii & utilitatis afferat, exulare jubeatur. Ista ἀσεβεια, quam vehementer auctus rerum terrenarum voluptatumque corporis ac sensuum amor & gustus, nec non fastuosus & petulans rerum supra hanc carnis sphaeram positarum contemptus gignit & fovet, sapientiæ cujusdam novæ ejusque elegantioris specie & fuce pingitur

gitur & commendatur, variisque libellis inde ab aliquo tempore publicatur. In quibus, ut exterorum quædam scripta præterea-
 mus, etiam sunt vernacula lingua editi, vel ephemeridibus lite-
 rariis inserti, vel qui seorsim in lucem prodierunt; quo pertinet
*auctoris anonymi: Versuch einer Anleitung zur Sittenlehre für alle
 Menschen, ohne Unterschied der Religionen. Berlin 1783.* De quo
 videatur Celeb. DOEDERLEIN *Theolog. Bibliothek* T. II. P. 10.
 p. 753 fs. & T. III. P. I. p. 50 fs. Hæ tales calumniæ religionis
 acutissimo Philosopho C. GARVIO occasionem dederunt de quæstio-
 ne: *an religio ad virtutem & felicitatem necessaria vel utilis sit?*
 brevibus differendi in *philosophischen Anmerkungen und Abhandlun-
 gen zu Cicero's Büchern von den Pflichten, 2 Buch, p. 69 fs.* In-
 signem vero illis refellendis operam impendit præstantissimus au-
 ctor libri propter gravitatem & elegantiam dictionis laudatissimi,
 s. t. *Vertraute Briefe die Religion betreffend.* Quem supra allega-
 tus Anonymus refutare conatur, sed potius arte sophistica illudit,
 in *Beurtheilung der vertrauten Briefe — Etwas zur frommen Er-
 bauung für gläubige und ungläubige Seelen. 1786.*

Hic igitur impetus in religionem, eamque potissimum chri-
 stianam, (nam ea proprie petitur,) nos movit, ut materiam hanc
 fumeremus, quantum per vires & tempus licet, *dissertatione no-
 stra inaugurali* tractandam, postquam *Serenissimo & Potentissimo
 DVCI nostro Regnanti CAROLO* placuit, munus Professoris
 Theologiæ extraordinarii nobis demandare. Quare ostendemus,
*religionem, imprimis christianam, ita comparatam esse, ut magnum
 omnino ad officia erga alios præstanda præbeat adjumentum.*

§. II.

Officia erga alios *seorsum a pietate* non solum *intelligi* atque
 considerari, sed etiam *quodam modo præstari posse* non diffitemur.
 Ea enim *natura* humana est, eæque honesti, justi, decori ideæ
 A 3 atque

atque regulæ ipsi impressæ inveniuntur, ut etiam illi, qui Deum non noverunt nec legem divinam scriptam habent, Paulo teste²⁾, (Rom. II. 14) *natura* opera hujus legis faciant, alios non lædendo, suum cuique tribuendo, humanitate, benevolentia, fide exhibenda. Porro *societas*, qua homines junguntur & continentur, quæcunque sit, sive plures sive pauciores complectatur, sive cultarum sit gentium sive barbararum, sine officiis mutuis consistere & durare nequit. Itaque vel natura admoniti vel necessitate compulsi vel utilitate ducti vel legibus parentes alii aliis quæ justa sunt facient, etiamsi religio illos non moveat; idque eo magis fiet, quo perfectior reipublicæ forma inter eos constituta fuerit, unde plerumque accuratior officiorum definitio pendet.

Quin etiam damus, homines religionis vel omnis vel veræ & purioris ignaros nonnunquam majori fide & diligentia in officiis erga alios uti posse, quam qui religionis cognitione imbuti sunt & pietatem præ se ferunt. Veluti Samarita, quem Jesus tanquam exemplum proposuit, opem, quam sacerdos & levita ferre neglexerant, misero præstitisse perhibetur. (Luc. X. 31 ss.) Quo certe ostenditur, vel naturalem commiserationem, si a religione discesseris, sufficere, ut cognoscas, quis proximus sit, quum a sensu communis humanitatis proficiscatur³⁾.

§. III.

2) $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ h. l. est natura hominis rationalis, cui $\kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha$ & $\sigma\upsilon\nu\epsilon\iota\delta\eta\sigma\iota\varsigma$ (v. 15) inest, sensu morali prædita, quam CICERO L. I. *de Officiis* describit. cf. 1 Cor. XI. 14 ubi $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ naturalem sensum decori significat. Vid. b. BENGELII *Gnom.* ad h. l. Itaque $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ construimus cum sequenti verbo $\pi\alpha\iota\eta$, consentiente S. V. KOPPE in *annot.* ad h. l.

3) Legisperitus quærens, equis est meus proximus? (v. 29) disputatione rem definiendam esse putaverat. Sed Dominus id cuivis, etiam rudiori, sensu commiserationis (v. 33) patere docet. Sed male Auctor ille anonymus (§. I) hoc ita interpretatur, Jesum inutilitatem religionis hac ratione docere voluisse, in *Beurtheilung* — p. 66 & passim.

§. III.

Verum experientia constat, eam esse *naturæ humanæ infirmitatem & vitiositatem*, ut multi non animadvertant & cogitent, quæ aliis officia debeant, præsertim, si nulla singularis hortatio accesserit, atque, ut etiam moniti & scientes, quid agendum sit, inertia & desidia impediuntur, vel cupiditatibus varii generis auferantur. Sæpissime quod utile putatur, antefertur honesto & officio; neque argumenta ab ipsa pulchritudine & præstantia virtutis vel a turpitudine vitiorum desumpta tantum vim habere solent, ut impetum cupiditatum satis reprimant & vincant, quia his occæcatæ mentes quid pulchrum sit ac deceat videre & perspicere nequeunt. Nec sufficit, ut doceas, veram utilitatem esse eam, quæ cum honestate jungatur, quoniam homines utilitatem ex præsentis fructu & sensu metiri & æstimare consueverunt. Societas autem civilis, quamvis ad officia legibus & moribus, existimatione & honore, atque etiam commodis propositis impellat, tamen plerumque certa modo illorum genera adjuvat; quo fit, ut reliqua negligantur. Quod Cel. GARVE optime observavit, in illis rebus publicis, quæ cives ad amorem patriæ inflammaverint, & publica fortitudine claruerint, ut Athenis, Romæ, eodem tempore privata officia apud populum fere jacuisse, & pessimos mores invaluisse 4).

§. IV.

Intelligitur ergo, homines *adjumento* opus habere, ut officia erga alios, natura cognita & legibus præscripta, animo & memoria teneant, & impedimenta, illis opposita, vincant, animis ex torpore & levitate excitandis atque cupiditatibus refrenandis & frangendis. Atque hoc adjumentum tum *naturæ humanæ accommodatum* esse oportet, ut quivis eo uti possit, non illi soli, qui præ cæteris sapiunt vel literis exculti sunt, tum ita comparatum esse,

4) libr. cit. P. II. p. 42.

ut

ut ad *universum officium simul pertineat*, & nullum genus ab eo relinquatur. (§. III.) Id quidem duplex esse potest, unum, quod a *philosophia*, alterum, quod a *religione* proficiscitur. *Philosophiam*, quæ præcepta de moribus & officiis tradit, & docet, quæ naturæ humanæ nostræque cum aliis conjunctioni rerumque, in quo positi sumus, nexui consentanea sunt, nos juvare posse, ut ea, quæ iusta sunt, magis distincte noscamus, & rationes, secundum quas agendum est, melius teneamus, libenter concedimus. Eadem quoque dux & magistra est ad cupiditates moderandas imperioque animi subjiciendas. At quamvis sapientiæ moralis studium, a religione separatum, in aliquibus efficere possit, ut officium servent, id tamen ad paucissimos patet, quibus ingenium est ad causas rerum perspicendas aptum, vel otium ad illas indagandas sufficiens. Neque etiam philosophiam hanc ita popularem reddere licet, ut omnes eam capere possint, nisi auctoritates loco causarum a sensu remotarum ponantur. Deinde tranquillum quoque mentis statum requirit, ut eam ducem sequamur; sed contra affectuum vehementiam vix quidquam valebit. Itaque adjungendum est alterum *religionis* præsidium, si quidem ei insint, quæ ad verum adjumentum pertinent, & si ea, quæ in philosophia desiderantur, suppleat & præstet. Quod, age, jam videamus.

§. V.

Principio quidem *religio*, quæ dicitur, *naturalis*, quæ Deum Ejusque summam perfectionem ex contemplatione naturæ, earumque rerum quæ in mundo sunt & fiunt, per sensum & rationem cognoscit, ad virtutem & officia est utilis. Quodsi enim credamus & cogitemus, Deum hujus mundi conditorem omnes res providentia sua curare & regere, Eumque cuncta optimis & sapientissimis legibus moderari, omnium a se creaturarum rerum adeoque etiam hominum conservationem & salutem velle, non possumus non intelligere, Eundem justissimum esse, atque etiam

ab hominibus justitiam exigere; quæ recte facta sunt probare & remunerari, quæ vero incolumitatem & salutem aliorum lædunt, averfari & ulcisci 5). Jam vero Idem quoque omnium actionum nostrarum perpetuus & præsentissimus est testis & arbiter, nihil illum latet, nemo illum effugere potest. Quæ consideratio quantum momenti afferat ad officia erga alios promte præstanda, ad justitiam & fidem sancte colendam, facile est animadvertere 6). Fac enim hominem hortatoris indigere, ut faciat, quod proximo debet. Quis efficacius hortari potest Eo, quem omnium rectorem esse sentimus? Tentetur ad jus violandum spe alicujus magni commodi. Quid eum ab hac injuria facienda fortius revocet, quam cogitatio summi judicis, invisibilis quidem, sed vere præsentis, qui jus violari non impune patitur. Fallere alios velit, quod nesciant, quid in animo habeat. At Deum hoc scire cogitans non faller.

§. VI.

At quamvis omnes, qui ratione uti volunt ad conditorem & rectorem mundi ex Ipsius operibus agnoscendum, ad aliquam DEI divinæque justitiæ notitiam pervenire possint, hæc tamen religio naturalis partim est rarissima, quia homines in rebus visibilibus plerumque hære solent, nec facile eo per se enituntur, ut Numen invisibile, a mundo distinctum, cogitatione assequantur, partim vero non nisi in illis efficax lerit, qui exercitati sunt in regimine divino perspiciendo. *Revelatione* igitur divina opus fuit, qua homines excitarentur ad Summum Numen cognoscendum, &

5) DEum recte facta probare, scelera averfari, etiam ex eo cognoscitur, quod eum rerum ordinem instituit, ut virtutem felicitas sequatur, & maleficus felix esse non possit.

6) SHAFTESBURY, qui virtutem a pietate sejungendam esse putat, ipse tamen fatetur, cogitatione DEI omnium actionum testis virtutem juvari. *Uatersuchung über die Tugend. p. 94.*

& qua Ipsius cognitio redderetur facilior & promptior, ut etiam rudiores & simpliciores ejus participes fieri possent. Maxime vero *justitia*, qua *DEUS* in *hominibus regendis* utitur, factis & exemplis nec non oraculis docenda erat, ut majore vi animi ad virtutem & officia flecterentur. Ejus autem revelationis diversi gradus extiterunt, quos in religione *patriarcharum*, *Mosaica* & *christiana* observamus. De christiana prolixius, de illis, quæ præcesserunt, breviter dicemus 7).

§. VII.

In *patriarchis* duos spectabimus, primum, cujus historia prolixius describitur, *Abrahamum*, & ultimum, *Josephum*. Illius benevolentia, æquitas & fides erga Lotum 8), magnanimitas & justitia adversus regem Sodomæ 9), hospitalitas & humanitas in omnes obvios 10), hæc, inquam, præstantissimæ virtutes cum religione fuerunt conjunctæ. Deum quippe noverat 11) cœli terræque conditorem, omnipotentem, mundi judicem, æternum, (Gen. XIV. 22. XVII. 1. XVIII. 25. XXI. 33) sibi que peculiari fœdere junctum. Quæ certe cognitio generosam illius mentem & indolem ad virtutem excitare atque in ejus studio confirmare potuit. Et quemadmodum ipse Deum ita coluit, ut justitiæ & æquitati erga alios studeret, sic etiam familiam in religione instituit, ut hanc

7) Quum revelatio DEI per ætates & gradus creverit, & subinde plenior & perfectior reddita fuerit, non debemus offendi, quod religio Mosaica minus adjumenti ad officia contulit, quam christiana.

8) Gen. XII. 8 fs. XIV. 14 fs.

9) Gen. XIV. 22 fs.

10) Gen. XVIII. 2 fs. Nam quod hic fecit, eum alias quoque fecisse colligi potest. Adde preces pro Sodomitis factas, Gen. XVIII. 23 fs. testes misericordiæ & amoris erga proximum.

11) Hanc notitiam ille maxime per revelationem & oracula accepit, quamvis etiam contemplatio operum divinorum, inprimis cœli, innumeris stellis lucentis, accessisse videatur. (Gen. XV. 5)

hanc virtutis illi traderet disciplinam. Quod patet Ipsius Domini testimonio Gen. XVIII. 19 ¹²). Porro de vi religionis ad justitiam tantopere fuit persuasus, ut homines DEI non reverentes etiam ab injuria adversus alios sibi non temperaturos esse crederet ¹³) (Gen. XX. 2.) *Josephus* quoque pluribus locis se religione proprie ductum a scelere abstinere & æquitatem servare ostendit. Veluti, quum ab hera ad concubitum sollicitaretur, respondit: *Qui magnum hoc scelus committerem, atque in Deum peccarem?* (Gen. XXXIX. 9.) Et quum fratres timerent, ne potestate sua uteretur ad illos tanquam exploratores tractandos & supplicio afficiendos, hoc dicto eos a metu liberat: *Deum ego veneror.* (Gen. XLII. 18) Hoc est, quanquam id facere possem, vos tamen non in periculum capitis adducam, quia religio vetat; DEI, quem colo, causa salutis vestræ ero cupidus. Confer etiam, quod iidem dixit sollicitis, ne post obitum patris vindictam meditaretur: *ne timeatis, num enim DEI loco sum?* ¹⁴) (Gen. L. 19) Nonne memorem esse me oportet, me DEO esse subjectum? Quam dicendi formulam Jacobus quoque adhibuit ad significandum, se sibi non arrogare, quæ sint divinæ potestatis & arbitrii. (Gen. XXX. 2)

§. VIII.

- 12) *Novi, inquit Dominus, Abrahamum filiis suis & familie mandatum esse custodiam viæ Domini, i. e. religionem Jovæ traditurum esse.* (למנו) *expropter ut justitiam & æquitatem colant. Viam Domini religionem esse patet ex Devt. VIII. 6. X. 12.*
- 13) *יראת אלהים, reverentia DEI est religio, quam Abrahamus in incolis Palæstinæ eo magis desiderare poterat, quod Sodomitas ea destitutos & ideo ad flagitia & scelera pronos fuisse noverat.*
- 14) *החן proprie est loco, ἄνθος, ut Aquila & Symmachus verterunt. Sed Samaritano codici consentiens graeca versio in Hexaplis Origenis habet φησεν οὖν θεὸν ἐγὼ ἔμω, quem sensum quoque Chaldaei Paraphrastæ expresserunt, quasi scriptum fuisset חן-ה, eamque lectionem S. R. DATHE in vers. lat. adoptavit. Nunc vero omnes Codd. Hebræi & Samaritani receptam lectionem servant. Vid. lectiones variantes a Cel. DE ROSSI ad h. l. collectæ.*

§. VIII.

Lex Mosaica non solum *universè* officia erga alios auctoritate *Jovæ*, summi legislatoris, DEI & regis Israëlitarum mandat, sed etiam aliquando *singularia præcepta* diserte religione confirmat. Maxime huc pertinet Lev. c. XIX, ubi reverentia erga parentes, v. 3. ratio pauperum habenda, v. 9. 10. fides, v. 11. abstinencia a læsione aliorum, v. 13. 14. æquitas in causis judicandis, amor mutuus, missò odio & vindictæ studio, v. 15—18. honor senibus tribuendus, v. 32. amor peregrinorum, v. 33. 34. justitia in mensuris adhibendis, sive in emtione, venditione, v. 35. 36. hoc est facto subinde repetito: *Ego sum Jovæ Deus vester*, commendantur & injunguntur. In his quidem sunt officia, tum quæ perfecta tum quæ imperfecta dici solent, sed maximam partem ea commemorantur, in quibus ideo delinquitur, vel quia id clam fieri potest, nullo arguente, vel quia nulla coactio locum habet; quæ igitur *sine reverentia DEI*, cui etiam occulta patent, & absque studio Ipsi obsequendi *haud ita facile* præstantur. Veluti, ut hæc tantum afferamus, depositum, nullo teste, negari, cæci & surdi illudi, simplices decipi, senes imbecilli contemni possent, quod injuriam arguere & vindicare difficilimum sit: sed homo religiosus cogitabit, DEUM istos defendere, & injuriam illis fieri prohibere. Porro, ut pauperibus beneficia tribuantur, vel aliquid de messe & vindemia relinquatur, ut caritas etiam peregrinis exhibeatur, ut similtates & delationes deponantur, nulla lex civilis jubet & cogit, sed reverentia DEI hæc præcipientis efficere potest. Atque hic locus eo magis notandus est, quod occurrit in libro, qui plurima ad sacerdotium & sacras ceremonias spectantia complectitur. Hinc enim patet, religionem, etiam Mosaicam, non in eo duntaxat positam esse, ut festa & sacrificia secundum ritus præscriptos peragantur, sed eam ad vitam quoque humanam & omne genus officia pertinere, atque amorem erga alios ingenerare, unde omnis vera justitia & æquitas proficiscitur.

§. IX.

§. IX.

Extant etiam in *aliis Veteris Foederis libris* multæ & præclaræ sententiæ, quæ religionem ad officia erga alios referunt. Sic *Jobus* narrat ipsum æquo jure cum servis & ancillis usum fuisse, quod judicium DEI reveritus fuerit, qui communis sit omnium creator; (c. XXXI. 13—15.) clementem & liberalem se erga egenos & miseros præbuisse, quia ultionem divinæ majestatis in immiseriordes timuerit. (v. 16—23) *David* se reverentia Jovæ, quem judicem & remuneratorem spectaverit, ductum profiteretur, ut Sauli ipsum persequenti parceret, quum eum interficere posset. (1 Sam. XXIV. 7. II. 13. XXVI. II. 23. 24.) *Salomo* in Proverbiis fraudes in ponderibus, dolos in loquendo Jovæ displicere, fidem vero & veritatem Ei acceptam esse monet, (c. XI. I. XII. 22.) beneficentiam erga pauperes ad honorem Creatoris pertinere affirmat. (c. XIV. 31. cf. c. XIX. 17.) Prætereo reliqua, quæ præsertim in *Psalms* inveniuntur, dicta de felicitate & præmiis, quæ justis & benefici DEO tribuente consequantur, de miseria & poenis hominum injustorum, fraudulentorum & immitium, a DEO infligendis. (Ps. V. 5—7. XI. 5—8. XV. aliisque locis plurimis) Apparet igitur, religionem Mosaicam, quatenus ex sacris Veteris Foederis libris, etiam prophetis, cognoscitur, officia erga alios non impedivisse, sed potius multum ad ea commendanda & juvanda contulisse, quicquid illi, nostris præsertim temporibus, ab adversariis religionis revelatæ exprobrari soleat, quibus respondere non est præsentis instituti. Atque hoc legem & prophetas præcipue voluisse & spectasse testis est locupletissimus *Jesus Christus*, qui hanc *librorum sacrorum*, ubi de moribus præcipiunt & ad justitiam hortantur, *summam* esse diserte significat: *Quæcunque vultis, ut homines vobis faciant, ea vicissim & vos illis præstate.* (Matth. VII. 12) 15) Idem (Matth. XXII. 40) duobus

præ-
15) Divina igitur lex id, quod natura & ratio faciendum esse suadet, sua auctoritate confirmat. Similiter *Hillel*, magni nominis Judæo-

præceptis de DEO & proximo amando totam legem & prophetas contineri affirmat, quamvis multa & varia illis insint mandata & oracula. 10)

§. X.

Quamvis autem religio Mosaica purior a prophetis exposita omnem justitiam multum adjuverit, ea tamen officia proximo debita *Israëlitis* potissimum atque erga *Israëlitas* observanda mandavit, & rempublicam eorum divinitus constitutam respexit. Quare præcepta quædam complectitur nonnisi illi populo & terræ & temperi propria & consentanea, ut leges de vindice cædis s. Goële, (Num. XXXV. 10 ss.) de juribus anni septimi & jubilæi, (Lev. XXV.) aliasque, de quibus disseruit *Perill. J. D. MICHAELIS* in *Jure Mosaico*. Deinde illa etiam *sepis* instar (Eph. II. 14) *Israëlitas* a gentibus disjunct, quum legum Mosaicarum servandarum studium Judæos cæterasque gentes a mutua consuetudine necessario excluderet, (vid. S. V. KOPPE ad h. l.) ut hac ratione amoris universalis demonstratio vix locum haberet: Quæ quidem separatio ex consilio divino non perpetua esse debebat, sed tantum ad illud tempus durare, quo Christus per *Israëlitas* reliquas gentes luce sua collustraturus erat. (Gen. XXII. 18. XXVI. 4) Denique promissiones divinæ, quibus lex Mosaica utitur ad officia tum erga Deum tum erga proximum adjuvanda, ad terrenam & exter-

nam

rum magister, qui paulo ante Christum natum vixisse perhibetur, in *Talmude Babylonico*, *Tract. de sabbato*, profelyto cuidam hanc legis summam tradidisse narratur: quod tibi ingratum est, socio tuo ne feceris. Vid. LIGHTFOOT in *Horis hebr.* ad h. l. HACKSPAN in *notis philologico-theologicis* h. l.

- 16) Confer, quod *Salkut Rubeni* ad Lev. XIX. 18 de R. *Akiba* refert, eum dixisse, amorem proximi esse regulam (כלל) magnam in lege. Edit. *Amstelod.* 1700. Phrasis huic εν δυνάμει—αρεμοταυ, respondens occurrit in *Rabboth* ad Lev. XIX. 18. רוב גופי תורה תלויין בה plurima capita legis in hac (Parascha) continentur.

nam felicitatem spectant, quod illo tempore spiritualia & æterna beneficia nondum in luce posita essent; itaque in ea desideratur maximum ad virtutem incitamentum atque autoramentum, spes æternæ beatitudinis atque omnis tum externæ tum internæ felicitatis a DEO certo consequendæ, quæ constantiam in proximo amando efficit, etiamsi nulla sit in his terris gratia & remuneratio.

§. XI.

Quæ igitur religio five lex Mosaica nondum præbuit, nec præbere potuit ad officia erga alios confirmanda & præstanda argumenta & adjuncta, ea *Jesus Christus* plenissime addidit. Ipse videlicet luculentissime demonstravit, *DEI esse voluntatem*, ut omnes, sine ulla exceptione, homines amemus, *DEI*que Ipius ea in re suumque proposuit *exemplum*, imitatione dignissimum; Idemque non modo maximis aptissimisque *promissionibus ac comminationibus* gravissimis ad studium amoris & ad omnem injustitiã cavendam excitavit, sed etiam omnino *Spiritu* suo totaque *sua potestate salutari* ad quævis officia aliis exhibenda suavissime atque efficacissime ducit. Quod jam breviter erit ostendendum.

§. XII.

Primum quidem Christus ea omnia, quæ *lex Mosaica de officii erga alios præcepit*, etiam sua *auctoritate confirmavit*. Idque statim professus est, quum discipulos in monte veram justitiam doceret, *non esse putandum, se venisse, ut legem aut prophetas* (h. e. ea præcepta, quæ libris sacris eo nomine appellatis continentur,) *abrogaret, sed potius ut impleret & confirmaret.* (Matth. V. 17) In his autem præcepta de aliis non lædendis esse, ex sequentibus intelligitur, ubi hæc talia diserte afferuntur. (v. 21. 43) Neque igitur quicquam in iis, quæ natura & ratio aliis facienda esse movent, vel quæ leges civiles inde ductæ præcipiunt, mutavit, sed prin-

principium illud: *quæ tibi vis fieri, ea etiam aliis facias* (Matth. VII. 12. vid. §. IX) ex quo omnia erga alios officia derivari possunt, stabilivit. Quare etiam non versatus est, more magistrorum & legisperitorum Judaicorum, in præceptis singularibus definiendis & multiplicandis, verum, quæ Moses scripsit & iussit, ea facere & servare populo suisque discipulis mandavit. (Matth. XXIII. 2. 3). Usus autem est in hac confirmatione legis & officiorum summa auctoritate, ea scilicet, quæ *Messiam & Filium DEI* (Matth. III. 17) maximum voluntatis divinæ interpretem decebat, & major erat Mosis & omnium prophetarum auctoritate. *Ego vero*, inquit, *dico vobis*, (Matth. V. 22. 27. 31. 34. 39. 44) qua voce se non ministrum & interpretem legis, sed dominum esse profiteretur atque imperantem, leges regni divini ferentem.

At hac ratione non solum officia lege præscripta confirmavit, sed etiam *DEI voluntatem per Ipsum loquentis* multo luculentius, quam olim factum erat, *declaravit*, qua *amor erga proximum*, quantum fieri potest, *perfectissimus* informatur. Ejusmodi scilicet amor, qui injurias & læsiones aliorum adeo cavet, ut etiam ab ira se absteineat¹⁷⁾, nedum a contumelia verborum (Matth. V. 22), qui fratrem offensum celerrime reconciliare studet (v. 23. 24), qui properat ad placandum adversarium (v. 25), qui injurias potius perperitur quam vindicat (v. 39 - 41)¹⁸⁾, qui petentibus gratifi-

¹⁷⁾ *Textus Vulgatus*, quem etiam S. Ven. GRIESBACH in sua editione retinuit, habet *ὀργισμένους εἶπεν*. Sed b. BENGELIUS in *Appar. crit.* illud *εἶπεν* omittendum esse censet, non contemnendis testibus, in quibus præcipue notandus est CASSIANUS, qui *Institut. L. VIII. de spiritu irae c. 20.* ita *Et novella exemplaria multa Et antiqua omnia per scripta inveniri tradit.*

¹⁸⁾ Hæc Domini verba non ad hyperbolas vel meras proverbiales sententias vel consilia referenda & hac ratione extenuanda esse tota sermonis gravitas & præcipientis auctoritas docet, etsi justæ limitationes & explicationes, quas natura societatis humanæ aliarumque legum vis postulant, locum habere possint & debeant. Vid. b. WEIS-MANNI *Diss. Religio christiana prima specie lædentibus magis quam læsis amica.* 1745.

atur (v. 42), qui etiam hostes omni genere beneficiorum complectitur (v. 44), qui neminem judicat & condemnat (c. VII. 1.). Hunc talem ad veram justitiam pertinere, & voluntati divinæ respondere testatur & confirmat Is, qui se a DEO missum esse (Joh. III. 17. V. 36. VI. 29. VII. 28. 29. VIII. 42 aliisque locis) non modo verbis perhibuit, sed etiam factis demonstravit, & omnis voluntatis divinæ se optime conscium esse ostendit (Matth. XI. 27. Joh. VI. 46. VIII. 28. 40. cf. c. I. 18).

Nullus est legumlator humanus, nulla respublica, cujus auctoritate hæc officia a Jesu Christo tradita, quæ tantam perfectionem habent, præscribi potuerint. DEI solius Ejusque Filii & Legati erat, ea ab hominibus postulare, nec tamen prius postulavit, quam regno cœlesti præsentem (Matth. IV. 17. 23. V. 3. 20), quod novam DEI manifestationem attulit, tanquam Patris cœlestis, Ejusque summi erga genus humanum amoris.

§. XIII.

Atque hoc exemplum Patris cœlestis Jesus, quem amorem illum perfectum doceret & mandaret, discipulis suis proposuit: *Amate inimicos vestros — ut reddamini filii Patris vestri cœlestis, qui solem suum oriri jubet super malos & bonos, & pluit super justos & injustos — eritis igitur vos perfecti, sicut Pater vester in cœlis perfectus est.* 19) (Matth. V. 44. 45. 48) *Estate misericordes, sicut Pater vester est misericors.* (Luc. VI. 36) In quo notamus, quam

19) *Ἐλεος* in amore, de quo agitur, sive misericordia est, qui nulli deest, qui totus est in benefaciendo, sine respectu ad meritum vel mercedem gratiamve referendam. cf. v. 46. 47. Ea quoque vis est hebraici *חַסֵּד*, quod LXX plerumque *ελεος* reddere solent, ut significet cum, qui animo non distracto totus v. gr. in cultu DEI versatur, suoque officio in nulla parte deest. Gen. VI. 9. XVII. 1, Deut. XVIII. 13.

sapienter Dominus ob oculos posuerit amoris divini specimen, non in unam modo gentem, veluti Judaicam, editum, cui licet indignæ DEUS benefecit, sed commune omnibus hominibus & a quolibet animadvertendum, atque identidem cœlitus proficiscens, ut omnes subinde intuitu cœli de eo commonefieri possint. Magna hujus exempli vis est, quando cogitamus, nos omnibus inserviendo, absque discrimine, atque etiam inimicis & ingratis benefaciendo, Creatorem & rectorem cœli terræque imitari, eaque imitatione Ejus filios reddi. Quæ cogitatio animum ab illis hominum exemplis, qui laudi & fortitudini sibi ducunt, inimicis ægre facere, & illorum injurias strenue ulcisci, mirifice revocabit. Major autem lux exemplo DEI in amandis hominibus accessit, postquam per Evangelium illa dilectio patefacta est, quod *Filium Unigenitum misit ad peccata nostra expianda.* (1 Joh. IV. 10) Hoc enim summum est divini amoris in genus humanum documentum. (Joh. III. 16) Eo igitur Johannes utitur, (1 Ep. IV. 11) in exhortatione ad amorem mutuum: *Si adeo DEUS nos amavit, nos quoque alii alios amare debemus.* Similiter Paullus illud imitandum proponit, (Eph. IV. 32. V. 1) proprie in condonandis offensis ²⁰⁾, quod amor DEI per Christum demonstratus præcipue in venia gratiosa peccatis nostris concessa cernitur. Confer etiam Matth. XVIII. 32. 35.

§. XIV.

Accedit *Jesu Christi* Ipsius exemplum, quod in omni vita inter homines gesta atque in morte sua præbuit, omne genus amoris, humanitatis, benignitatis, misericordiæ, patientiæ specimina complexum. Quamvis enim Ipse jure suo ut Messias & Filius DEI cultum & observantiam ab hominibus poscere ac expectare potuerit, noluit tamen ministerium ab aliis exigere, sed *se potius vitam-*

²⁰⁾ *χρησθεις* h. l. ita accipiendum esse, loco parallelo Col. III. 13. patet, et si aliis locis omnino, donare, propitium, benignum esse, significat,

ostendit suam illis, ad quos missus erat, *impendit*. (Matth. XX. 28) Itaque nullum locum, quo venit, sine beneficiis reliquit, nullos salutis & opis indigos sine solatio & auxilio dimisit. (Act. X. 38) Inprimis vero tanta erga discipulos suos per omne tempus, quo cum illis versatus est, benignitate & fide usus est, tamque sollicitam illorum curam gessit, ut major, ne dicam a magistro, nec ab amico adhiberi potuerit, quam amicitiam illis paulo ante suam mortem verbis suavissimis est testatus. (Joh. XV. 13-15) Quod etiam Johannes in narratione de ultimis Ipsi sermonibus & gestis statim a principio observavit: in amore suorum, qui in mundo erant, usque ad finem perseveravit. (c. XIII. 1) Atque hoc suum exemplum illis, quum pedes eorum lavisset, sequendum commendavit, (Joh. XIII. 15) mandatamque addidit, *ut se mutuo diligere, quemadmodum Ipse eos amaverit, hoc indicio fore, eos genuinos Ipsi discipulos esse;* (c. XIII. 34. 35) quod deinde repetit. (c. XV. 12. 17) *Morte* autem, summo amoris in genus humanum documento, (Joh. X. 11. XV. 13) obita apostoli hoc exemplo & argumento usi sunt in christianis ad mutuam amorem excitandis, (Eph. V. 2. 1 Joh. III. 16)

§. XV.

Præter auctoritatem & exemplum (§. XII. XIII) Jesus etiam *promissionibus* maximis amorem erga proximum & inde consequentia officia adjuvit. ²¹⁾ Duplicis autem hæ sunt generis: Aliæ felicitatem etiam in *terra* spondent, aliæ vero longeque plures *æterna*, spiritualia & *coelestia* bona *post hanc vitam* consequenda proponunt. Ad primum genus pertinere videtur felicitas mansuetis promissa, quod

²¹⁾ Ipsa quidem virtus & conscientia recte factorum sibi præmium esse potest, atque etiam ex natura recte factorum secundum ordinem a DEO institutum (not. 5) non potest non aliqua felicitas consequi: sed magis animos movet & solatur auctoritate divina constituta promissis.

quod *terram sint possessuri*. (Matth. V. 5) Repetit hic Christus quod Ps. XXXVII. 11. extat. At certum est, illo Psalmsi loco terram Israëliticam intelligendam esse, cujus possessio & fructus populo DEI olim erat proprius. Itaque Israëlitis, quos Dominus in hoc sermone proxime spectavit, injuriarum patientibus & libenter concedentibus promittitur, fore, ut res & possessiones eorum sub tutela divina mansuræ sint, quamvis ista mansuetudine bona sua perdere videantur. Sed possunt etiam hæc verba de singulari auxilio divino accipi, quo mansueti, ubicunque terrarum degant, fruituri sint, quod conditionem illorum externam attinet, phrasi Veteris Fœderis ad sensum magis generalem translata. Alterius generis promissiones rursus sunt distinguendæ. Quædam enim *imagines* adhibent a *sensibus* petitas, aliæ contra bona futura ratione magis *spirituali* enunciant. Atque hic observare licet, Jesum in promissionibus de felicitate post hanc vitam consequenda parcissime imaginibus uti, illisque minime amplificatis, sed brevi potius & proprio, quantum fieri potest, sermone. Veluti, quum *beatos* prædicat virtutum erga alias demonstrandarum studiosos sub initium sermonis de vera justitia. (Matth. V. 6 - 9.) Hic enim justitiam in seculo injustitiæ pleno desiderantibus ²²⁾ *expletionem famis & sitis sive desiderii* pollicetur, scilicet *fruitionem justitiæ perennem; Misericordibus, misericordiam* divinitus impetrandam; *Puram servantibus mentem*, ²³⁾ h. e. a prava concupiscentia rerum alie-

22) Πενταν & διψαν præter LXX etiam a profanis cum accusativo construi ostendit ΚΥΡΚΕ in *Observ.* ad h. l. Desiderium vehemens his verbis significari RAPHELIVS in *Annot.* ad h. l. ex *Xenophonte* probavit.

23) *Puritas cordis* sive mentis h. l. non tam sanctitatem vel castitatem quam immunitatem a malitia, avaritia, invidia aliisque affectibus proximo noxiis significare videtur. Hoc sensu Ps. XXIV. 4. dicitur כִּרְבֵּן לֵב, LXX καθαρος η καρδια, idque conjungitur cum antecedenti וְיָקִי כַּיָּס, cujus manus nullo scelere sunt contaminatæ. MACARIUS *Homil. XIV.* puritatem hanc cordis sic exponit: μηδεναι ἐξδεσθαι μητε ἀναγκασθαι η βδελυσσασθαι η ἔχειν αυτους εν διακρισει, quod conjunctum est misericordiæ proxime commemoratæ. *Ed. Prit.* P. II. p. 190.

alienarum, eos *DEum visuros*, divinorum bonorum participes futuros esse; ²⁴⁾ *Pacificis*, eos *dignitate filiorum DEI ornandos esse*. Nihil in his promissionibus occurrit, quod ad *corporis* delicias referri possit; omnia in *DEO* posita sunt, in fruitione regiminis, gratiæ & communionis divinæ. Sic etiam in descriptione summæ illius remunerationis, a rege & iudice Christo justis, propter beneficia egenis ipsius fratribus exhibita, tribuendæ tantum commemoratur regnum illis a Patre inde a condito mundo paratum, & vita æterna. (Matth. XXV. 34. 46) Similiter Jesus Luc. XIV. 14 brevissime retributionis in resurrectione iustorum, & Luc. XVI. 9 receptionis in æterna tabernacula propter beneficentiam mentionem facit. Satis nimirum erat, certa, quamvis non specialiter determinata, eaque summa & æterna, præmia nostro erga proximum officio respondentia polliceri, quæ nos, Domino fidem habentes, excitarent ad benefaciendum, si vel maxime nulla in hoc seculo gratia & remuneratio ab hominibus expectanda fuerit, vel exigua admodum, quæ sumtus & labores impensos non æquet. Imo hoc in felicitatis parte posuit Jesus, si nulla in terris retributio consequatur, quod hac ratione præmia post hanc vitam ampliora sint speranda. (Luc. XIV. 14)

§. XVI.

At quoniam vehementia affectuum homines a tramite iusti & æqui abducere atque ad alios lædendos impellere solet, Dominus quoque promissionibus addidit *comminationes* pœnarum, quibus cogitandis impetus illorum vincere possemus. Itaque irascens adversus fratrem, (ira enim maxime iustitiæ contraria est) ²⁵⁾

at-

²⁴⁾ *Deum videre* h. l. eodem sensu accipiendum videtur, quo Joh. III. 3. regnum DEI videre, coll. v. 5. & gloriam Christi spectare, Joh. XVII. 24. i. e. frui DEO sive beatitudine divina.

²⁵⁾ Vid. Jac. I. 19. 20.

atque hinc etiam illum convitiamentibus judicium minatur usque ad gehennæ supplicium progressurum. (Matth. V. 22) Potissimum vero pœnas divinas repræsentat illis, qui *nolint aliis reconciliari & offensas condonare*, (Matth. V. 25. 26. VI. 15. XVIII. 35) qui *alios judicent & condemnent*, (Matth. VII. 1. Luc. VI. 37) quique *egenos ac miseros non juvent*. (Matth. XXV. 41-45) Quum enim hæc vitia legibus civilibus nec vetentur nec puniantur, atque in illis etiam reperiantur, qui justitiæ & sanctitatis opinionem habent, ipsaque *justitiæ* nomine defendi soleant, necessarium erat, gravissimarum a DEO infligendarum pœnarum denuntiatione ab illis absterere, & hac ratione duritiam & asperitatem animi frangere. Neque igitur Jesus apertis & atrocibus delictis adversus proximum commissis pœnas indicit, quod eæ jam a lege Mosaica constitutæ essent, & ipsa conscientia ejusmodi flagitiosos homines pœnis divinis dignos esse dicitet. (Rom. I. 32) ²⁶⁾

§. XVII.

Denique Jesus Christus non solum doctrina, auctoritate, exemplo, præmiis pœnisque propositis, sed etiam quam maxime *Spiritus*, quem Ipsi debemus, *divini ope*, totaque, qua *in salvandis* regendisque *hominibus* utitur, *potestate* amorem erga alios efficit & juvat. Neque enim auctoritas satis moveret, neque exempli, neque promissionum & comminationum tanta vis esset, nisi eam quoque in nobis *mutationem mentis* efficere posset, qua dociles aptique ad officia redderemur. Ea vero mutatio cognitione salutis, cujus nobis morte & resurrectione sua auctor est, æternæ, certaque persuasionem & fide gratiæ divinæ, beatæque immortalitatis per Ipsum partæ spe atque expectatione perficitur, ope Spiritus

San-

²⁶⁾ *Θαυρατος* h. l. omnino pœnam significare videtur, quia refertur ad *δικαιωμα*, sententiam judicis. Sicut enim *ζωη* & *ζην* de felicitate & præmiis sæpe usurpatur, (Rom. II. 7. VII. 10. X. 5) ita *θαυρατος* & *δυσμεν* de pœnis (2Cor. III. 7. coll. v, 9) Vid. & KOPPE ad h. l.

Sancti, qui luce sua & vi adest Evangelio rite utentibus. Quam Paullus in *Ep. ad Titum* c. II. 11-15 egregie describit. Nam postquam docuerat, quomodo Titus senes & juvenes, atque etiam servos ad officia hortari debeat, (c. II. 2-10) ut nulla causa opprobrii in doctrinam seu religionem christianam conjiciendi esset, addit, *gratiam DEI salutarem omnibus* (vel diversissimæ conditionis) *hominibus apparuisse*, (tenebris ignorantiae & superstitionis per Evangelium dispulsis) *quæ nos instituat, ut aversantes impietatem & mundanas cupiditates sobrie & juste & pie vivamus in præsentem seculo, expectantes beatam spem & apparitionem gloriosam Summi DEI & Servatoris nostri Jesu Christi, qui se ipsum pro nobis impenderit, ut nos redimeret ab omni injustitia, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem honorum operum.* Pergit idem c. III, quum monuisset, christianos exhortandos esse, ut omnem æquitatem & lenitatem adversus omnes homines ostenderent, (v. 2) *nos quoque olim eramus — in malitia & invidia agentes, odiosi, aliis alios odio persequentes: Quum autem benignitas & humanitas apparuit salvatoris nostri DEI — salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati 27) gratia Ipsus hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ.* (v. 3-7) Nova igitur & spiritualis vita seu regeneratio, cujus principium est Jesu Christi resuscitatio & reditus in vitam gloriosam, (Rom. VI. 4. Eph. II. 4-10. Hebr. XIII. 20. 21) animum & vires tribuit tum ad pietatem tum ad justitiam, ejusque vitæ spiritualis fructus proprius & certissimus est amor-longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, quæ virtutes maxime in officiis erga alios sunt necessariæ. (Gal. V. 22. Eph. V. 9. Col. III, 12fs) Hac ratione fit,

27) *δικαιοσύνης* dicuntur illi, qui ex injustis (v. 3) & factis justitiæ carentibus (v. 5) redditi sunt justis, ut juste vivant erga proximum. (c. II. 12) Ita *δικαιοσύνης* : Cor. VI. 11 refertur ad eos, qui prius fures, avari, raptores erant, (v. 10) jam vero, juvante Jesu Christo & Spiritu DEI, justitiam colebant,

ut christiani non solum officia perfecta præstent, sed etiam exquisite studeant ea omnia facere, quæ cum DEO tum hominibus præbari intelligunt. (Rom. XII. 17. XIV. 10. Phil. IV. 8. 9)

§. XVIII.

Breviter jam ostendimus, qua ratione religio christiana officia erga proximum *universe* adjuvet. (§. XII—XVII) Quod, ut magis pateat, etiam exempla de *singulis partibus* afferenda sunt, videlicet de *officiis erga parentes, conjuges, heros, servos, magistratus*, quæ in societate humana maxime sunt necessaria, & quibus observatis etiam cætera facilius & rectius præstantur. Pietas igitur liberorum in parentes cum obsequio conjuncta, quam quidem natura & lex Mosaica jubet ²⁸, ex voluntate Domini, (Christi, qui & Ipse illius exemplum dedit Luc. II. 51) novum accipit momentum. (Eph. VI. 1. ²⁹) Col. III. 20) Ipsi hæc pietas grata est, quod doctrinam Ejus decet & ornat. Conjugum & proprie maritorum in uxores amor conjunctione ecclesiæ cum Christo, qua in conjugio Christianorum repræsentatur, a Paulo confirmatur. (Eph. V. 25 ss) Eisdem maritos Petrus ad æstimandas & digne tractandas conjuges hoc argumento adducit, quod sint ejusdem beatæ vitæ per gratiam DEI promissæ & exhibitæ consortes, nec solum societate terrena & contubernio ad hanc vitam spectante jungantur, & quod preces, quibus beneficia divina in familiam derivanda sunt, iracundia & durtie impediuntur. (1 Ep. III. 7)

²⁸) Δικαιον esse apostolus monet Eph. VI. 1. h. e. juri naturali consentaneum (Col. IV. 1) & legi. (v. 2)

²⁹) Quod Eph. VI. 1 brevius dicitur, ἐν κυρίῳ, id Col. III. 20 magis explicatur, ἐν κυρίῳ ἐν κυρίῳ. Est autem ἐν κυρίῳ, quod fit Domini causa, ἐν ᾧ ὁ βῶς Χριστοῦ, (Eph. V. 21) quia mandatum & voluntas Christi est. Conf. de hac formula S. V. STORRII *Diss. ad Ep. ad Phil.* c. I. 1.

Servis christianis obsequium heris lubenter & fideliter nec non accurate præstandum ideo mandatur, quod hac ratione Christo ferviant voluntatemque DEI faciant, atque a Domino mercedem fidelium operarum accepturi sint. (Eph. VI. 5 fs. Col. III. 22 fs.) Addit Petrus exemplum Christi, qui patientia in ferendis ærumnis, quas innocentissime perpessus est, viam præiverit servis ad injurias herorum patienter tolerandas maxime gloriosam. (1 Petr. III. 18 fs.) Heris autem ad clementiam & lenitatem in servos flectendis Dominus communis in cœlis proponitur, cujus summa potestas est & justissimum in omnes imperium. (Eph. V. 9. Col. IV. 1) Ad officia erga magistratus, eosque etiam a religione christiana alienos, apostolus hortatur, quod omnis magistratus a DEO constitutus Deique minister sit; Ei igitur parendum esse, non solum metu pœnarum ³⁰⁾, sed maxime propter conscientiam, scilicet, quia obsequio erga magistratus pie nos agamus. (Rom. XIII. 1—5) Quo magis autem subditorum erga magistratus reverentia & obedientia alatur & confirmetur, Paullus pro illis preces fieri jubet, quibus beneficia per eos contingant, pax atque securitas reipublicæ, quæ ad honestatem & pietatem juvandam pertinent, subinde ad animum revocentur. (1 Tim. II. 1 fs.) Petrus etiam cultum divinum & reverentiam erga imperantes proxime jungit, (1 Ep. II. 17 coll. v. 13—15) memor illius dicti, quo Dominus ea, quæ Cæsari, & quæ DEO tribuenda sunt copulavit. (Marc. XII. 17) Tantum igitur abest, ut religio christiana ullum officium erga alios impediatur, ut potius etiam ad ea rite præstanda moveatur, quæ homines alias detrectare & subterfugere solent.

§. XIX.

30) Διὰ τὴν ὀργὴν. Vocabulum hoc imprimis in Ep. ad Rom. pœnam significare contextus aperte docet. Conf. v. 4. ἐκδιδοσ ἐπὶ ὀργῆν. Sic etiam locus c. IV. 15. ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται interpretandus est: lex (transgressionibus occasionem præbens) pœnam transgressoribus imponit. Vid. KOPPE ad h. l.

§. XIX.

Sanctitas itaque & *justitia* in religione christiana artissimo inter se vinculo colligatæ sunt, quarum nexum PLATO in *Eutyphrone* in Græcorum religione frustra quæri ostendit, quum illi deos suos maxime privatæ utilitatis causa colerent, atque varia ab his injuste facta a poëtis & mythologis tradita haberent. DEVS enim secundum præcepta Christi & apostolorum non coli rite potest, nisi accedat officium erga alios, quia hac potissimum ratione coli se mandat, ut voluntatem ipsius faciamus, quæ pietatem æque ac amorem erga proximum complectitur. (Matth. VII. 21. XXII. 36—40) Hinc *Johannes* in *prima epistola* gravissime præcipit de justitia, quod DEVS sit justus, (c. II. 29.) qui nonnisi justos habere possit filios, (c. III. 7, 10) eaque justitia in amore erga alios cernitur. (v. 11) Sæpe etiam a scriptoribus sacris *pietas* & *justitia* copulantur. (Luc. I. 75. II. 25. Act. X. 22. Ephes. IV. 24. I Thess. II. 10. Tit. II. 12. Apoc. XXII. 11)

§. XX.

Quare non erit difficile, aliqua *Christi dicta*, quæ *prima specie religionem* & *officia erga proximum disjungere videntur, conciliare*. Primum est illius præceptum discipulis datum: *Si quis ad me venit, nec odio habet patrem & matrem & liberos & fratres & sorores, ipsamque adeo vitam suam, non potest discipulus meus esse.* (Luc. XIV. 26) In quo primum est observandum, hunc sermonem non promiscue ad omnes pertinere, sed proprie ad eos, qui eo fine ad Jesum veniebant, ut doctrinam ejus accuratius cognitam aliis prædicarent. His omnino necessarium erat, parentes & familias relinquere, ut Jesum continuo sequi & in ipsius disciplina manere possent. Quamvis enim nonnulli apostoli post prima disciplinæ rudimenta ad tempus domum redierint, officii exercendi vel parentum juvandorum causa, ut Petrus & Andreas; (Matth.

(Matth. IV. 18 coll. cum Joh. I. 37—43) tamen illis non licebat diutius apud suos morari post vocationem Domini singularem ad excellentius opus suscipiendum, scilicet ad ministerium hominum doctrina sua servandorum. (Matth. IV. 19 fs.) Quo ipso longe majus & utilius aliis, iisque plurimis, officium præstiterunt, quam cura familiæ suæ gerenda. Deinde odium loco nostro non ita accipiendum esse, ut amorem & officia erga propinquos tollat, ex loco parallelo (Matth. X. 37) apparet, ubi sententia his verbis effertur: *Qui patrem sive matrem, qui filium sive filiam plus diligit quam me, is me non est dignus.* Non igitur optimus magister necessarios amare vetat, sed tantum cavet, ne prætextus hujus amoris quenquam ab ipsius sequela avocet vel retineat, vel ne quis negligentius ipsum sequatur, animo adhuc domi hærente. Quam ob causam cuidam ad sequelam vocato reditum ad patrem & curam ejus sepeliendi disuasit, ne hac occasione ineptus ad susceptum opus redderetur. (Luc. IX. 59. 60. coll. v. 62) Odium ergo interpretandum est ex mente & sensu illorum, qui discipulos Jesu eos odisse putabant, quibus non amplius adhærebant, quod plerumque propter odium homines a consortio aliorum abstrahuntur. Denique, quis nescit, ipsa etiam officia erga rempublicam sive patriam nonnunquam postulare, ut curam tuorum necessariorum dimittas?

§. XXI.

Alterum est primo conjunctum, quod Jesus affirmat, se non adesse, ut pacem & consensionem omnium in terra afferat, sed se velut gladio homines disjuncturum esse, ut etiam propinqui & domestici inter se dissideant. (Matth. X. 34 sq. Luc. XII. 51 sq.) Quid igitur, num illa dissidia, quæ inter propinquos maxime atrociter esse judicantur, a religione christiana proficiscuntur? At verba Domini ex illis, quæ præcedunt, intelligenda sunt. Significat nimirum discipulis, quæ ipsis ad regnum divinum sive evangelium

D 2

præ-

prædicandum mittendis *eventura* sint, ut ad tribunalia Judæorum & gentium ducantur, & odia omnium experiantur. (Matth. X. 17—22) Hinc mirum non esse putandum, si vel inter propinquos dissensiones ipsius causa oriantur, neque legatos ejus propter hunc eventum absterreri oportere, ut mandata omittant, quasi res aliter cecidisset quam initio speratum fuerit. Maxime vero Dominus in hoc sermone dissidia & bella ista intestina spectare videtur, quæ inter Judæos post evangelium illis prædicatum atque repudiatum oritura erant, usque ad excidium urbis & nationis; quibus tamen Christianismo amplius ad gentes propagando via fuit parata. Conf. Mich. VII. 6. 7. Similia Rabbinorum dicta de dissidiis sub adventum Messie orituris attulerunt LIGHTFOOT & SCHOETGEN in *Horis* ad Matth. X. 34.

§. XXII.

Quum igitur religio christiana partim omnia, quæ de officiiis erga alios vel *duce natura & ratione* cognoscuntur, (§. X) vel *legibus*, inprimis *Mosaica*, præcipiantur, (§. XII) atque etiam ea, quæ ad *decorum* inter homines pertinent, (Luc. XIV. 8—II. Phil. IV. 8) auctoritate voluntatis divinæ stabiliat & confirmet, partim vero *exemplo DEI & Christi*, additisque *promissionibus & comminationibus*, ad amorem & justitiam hortetur atque excitet, (§. XIII.—XVI) & præterea illam in animis nostris *mutationem* efficiat, ut lubentes aptique fiamus ad officia præstanda; (§. XVII) Quum denique ita comparata sit, ut indoctis æque ac doctis (§. IV) accommodata reperiat: Satis patere existimamus, *magnum in ea ad officia erga alios præstanda positum esse adjumentum.*

§. XXIII.

Supereft, ut *experientiam* quoque huic, quod religioni christianæ afferimus in officiis præstandis adjumento, non refragari pau-

paucis ostendamus. Quodsi enim experientia repugnet, frustra ad illa præsidia provocaverimus, quæ certe nullam vim habuerint, quibus itaque majora & efficaciora essent desideranda. Atque id maxime opponunt & urgent, qui religionem vel omnem vel proprie christianam ad virtutem inutilem imo noxiam esse contendunt. Hanc scilicet diffidiis acerbissimis bellisque sævissimis causam vel saltim occasionem præbuisse; hac præstantissimas virtutes, amorem patriæ, fortitudinem, magnanimitatem, sublatas vel debilitatas; hac agmen supersticiosarum cerimoniarum, imperium sacerdotum, contemptum principum, barbariem & quæ non mala? invecata fuisse; hujus religionis antistites & doctores pessimo exemplo alios ad officia negligenda induxisse. Verum satis jam superque responsum est atque demonstratum³¹⁾, mala hæc omnia nonnisi per depravationem & abusum religionis christianæ orta esse, atque culpæ hominum deberi; ipsam vero religionem, genuinam & puram, non solum ad spem felicitatis cœlestis & æternæ erigere, sed etiam multum ad salutem & utilitatem reipublicæ, & ad omnem humanitatem contulisse. Exemplis certe tum antiquiorum tum etiam nostrorum temporum patet, fidem & obsequium erga magistratus, curam miserorum & pauperum, nec non scholarum publicam & privatam, & instituta ad animos civium inde a pueritia ad honestatem formandos potissimum inter illos inveniri, ubi religio christiana lucet, atque ab illa foveri. Insigni igitur impudentia, quæ plerumque malæ causæ indicium esse solet, scriptor ille, quem (§. 1) adduximus, libri s. t. *Beurteilung der vertrauten Briefe*, negat³²⁾, religionem efficaciora ad amorem erga proximum demonstrandum præbere motiva, idque adeo ipsum Jesum in ista parabola, qua sacerdotem & levitam abs-

31) Vid *Vertraute Briefe*, Ed. II. p. 29 fs. 110 fs, GARVE *Abhandlungen* P. II. p. 81 sq.

32) p. 112.

absque ope præstanda præteriisse narrat, negasse contendit. Hoc certe nemo asserere potest, nisi qui ea duntaxat, quæ sibi placent, in narratione evangelistarum accipit, cæteris pro arbitrio repudiatis 33). Idem non minori confidentia etiam illos homines, qui se DEI causa vel ipsius amore ductos officia proximo præstare credant, accurata exploratione instituta aliud plane motivum reperturos esse putat, sive sensus humanitatis, sive ambitio, sive alius finis intercedat, quum religio ne minimum quidem effecerit vel natura sua efficere potuerit 34). Sed mittamus hominem hæc talia temere effutientem. Gratulemur virtuti & justitiæ atque universo generi humano, quod DEUS & Pater Domini nostri Jesu Christi homines sua cognitione imbuere dignatus est, quæ fructus peperit & pariet uberrimos atque lætissimos, & amoris fons & causa manebit æterni.

33) Vid. libr. cit. p. 72. 82.


34) p. 112. 113.



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

- A 1 Red
- R 2 Red
- G 3 Green
- B 4 Blue
- M 5 Magenta
- 6 6
- 7 7
- 8 8
- W 9 White
- G 10 Gray
- K 11 Black
- 12 12
- 13 13
- 14 C 14 Cyan
- 15 Y 15 Yellow
- 16 16
- 17 M 17 Magenta
- 18 18
- 19 B 19 Blue



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black

